



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Alumnos Philippus omni ope iuuat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

giem habebat, quæque sola à fratribus cernebatur, singuli, qui eò conuenerant, funiculis tanto temporis spatio sese percutiebant, donec recitato prius breui Dominicę Passionis compendio (cui id est initium. Recordemini fratres carissimi) totus psalmus quinquagesimus, & cętesimus vigesimus nonus, atque antiphona Salua Regina, vel alia, quæ tempori congrueret, mœsta, ac lugubri voce caneretur. Quę consuetudo Christianæ pietatis plena hodie apud Patres nostros magno cum animorum fructu perseuerat.

*Alumnos Philippus omni ope iuuat.*

**I**Nterea cum maior in dies hominum concursus eodem tempore ad eum fieret, & Oratorij opus ferueret, plurimis quotidie ad colloquia conuenientibus, hunc ille morem induxit, vt primùm vel ipse legeret, vel aliis legendum traderet librum, qui de rebus spiritualibus

ageret: quo facto, eorum quæ lecta erant, occasione, vnum & alterum, vel plures ex circumstantibus interrogabat variis de rebus, vt de virtutibus amplectendis, de vitiis fugiendis, & id genus alijs; quibus primum, qua decebat modestia, respondentibus, tum Philippus reassumens omnia vno, eodemque tempore, non fucato, & artificioso sermone, sed puro, simplici que eloquio, tanto animi ardore de diuinis rebus differebat, vt auditorum pectora inflammaret, eosque ad pietatem amplexandam mirum in modum prouocaret, incitaretque; eorum verò qui iam Christo nomen dederant, voluntates vehementius accenderet.

Diuinis colloquijs peractis Philippus vt pastor bonus, ac prudēs oues suis ad alia noua pascua educere consueuerat: ad templum B. Mariæ super Mineruam ibatur frequētius, ibiq; diuinis officijs in die, aliquan-

do

do etiam nocte matutinis, qui eum  
sequebantur intererant.

Viguit is vsus donec Oratorij no-  
stri institutum in Ecclesiã primùm  
S. Ioannis Florentinorum, & deinde  
in ædes nostras S. Mariæ à Vallicella  
translatum fuit. Quibus in locis om-  
nia ex præscripto Philippi Patris  
ad certam rationis normam dirige-  
bãtur, diligenterq; perpẽdebantur.

Addam huc præterea quod Phi-  
lippus tantopere cupidus erat suos  
in Christo filios ad studium oratio-  
nis inflammandi, vt eorum pectora  
suis precationibus mirum in mo-  
dum accenderet: rem exemplo no-  
tificabimus.

Cum per id tempus Simon vnus  
de illis, orationi in eius cubiculo in-  
sisteret, tanta repenti, Philippo pro  
eo supplicãte, lætitiæ cęlestis vi per-  
fundi se sensit, vt integram horam,  
quam in oratione cõsumpserat, mo-  
mēti instar iudicaret, perpetuoq; o-  
rare ea dulcedine perfusus elegeret.

Non omittimus recensere quòd Martius Alterius nobilis Rom. (qui Paulo III. Pont. relicto seculo, Christo, magno, fortiq; animo se adiūxerat) dicere solitus erat, ea lætitia, cum in Philippi cubiculo esset, perfundi, ut id cubiculum iam non sibi cubiculum, sed Paradisus quædam terrestris esse videretur. Peruenerat is ad eum sanctitatis gradum, ut de rebus diuinis <sup>a</sup> ex nimia spiritus affluentia, Moysis instar, loqui vix posset. Ea erat præterea in pauperes pietate, ut stragula, quibus ad lectum in quo cubabat, utebatur, ipsis tribueret.

<sup>a</sup>  
Hæc à B.  
Patre ac-  
ceptissim.

Philippus insuper illud præter cætera erat assecutus, ut quos pectori admoueret, in Dei amorem inflammaret mirificè, eorumque animos ad virtutis desiderium impelleret.

*Demonem à moribundo sacerdote fugat.*

**E**O ipso anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo,

Perfia-